LAURENTII GAMBARAE BRIXIANI PRECATIONES AD DEUM

Lorenzo Gambara, Marc Antoine Muret, Ippolito Capilupi, ...

Digitized by Google

6
22-d
66

6
22 C
18

Z.7.

6-224.17

Digitized by Google

XXVII.10.27

6-22-d-66

LAVRENTII GAMBARÆ BRIXIANI PRECATIONES AD DEVM.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Regij Prototypographi.
M. D. LXXII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Sɪ quid imprudenter fortaſſe dixero, quod ab Eccleſiæ Romanæ doctrina, vel conſuetudine ſit alienum, id præter animi mei ſententiam dictum, indictum eſſe volo: méque, ſcriptáque mea eiuſdem Eccleſiæ iudicio, & correctioni ſubiicio.

Laur. Gamb. Brix.

PRECATIO AD DEVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVMME *pater, qui tellurem, & ſupera alta creaſti,*
Et Solem, & quicquid Sol ſpectat: quum tenet oras
Aetheris, & terras rutila face luſtrat, & æquor:
Tu rege me ignarúmque loci, rerúmque ſacrarum,
Vt laude inſigni poßim ſuper æthera ferre,
Qui Chriſti ob nomen pœnas ſubiere, necémque,
Téque mihi canere vt valeam da, conditor orbis
Immenſi, natúmque ſimul, natíque parentem,
Atque tui cape primitias, fructúſque coloni.
Tu verò inſignis cantu, & teſtudine Dauid,
Et doctus res venturas prædicere, & ipſum
Carminibus laudare Deum: qui gurgite rubro
Immerſit Pharias vnà cum rege phalangas,
Dilectúmque ſibi populum, qui iam mare ſiccis
Tranſierat pedibus, tuta ſeruauit in acta,
Adſis ô, tua dum ſequimur veſtigia, quem iam
Verſantem liquidi pecudes Jordanis ad amnem
Poſt tantos rerum euentus, tantóſque labores,
Poſt graue Martis opus regali in ſede locaſti.
Tu quoque Alexander Farneſi haud vltimus inter

Purpureos animi virtute, & ſanguine patres,
Decurre hunc vnà mecum (tua iuſſa) laborem:
Qui non vt quondã nautas, aut Daphnidis ignes,
Aut Caprarolæ ſedem, Moſchúmque, Bionémque,
Atque hominum mutata nouas in corpora formas,
Et fortunatas Cancri ſub ſidere gentes;
Sed templi media poſitus teſtudine carmen
Aeterno meditor patri, rerúmque parenti.
Vos verò dulces olim, iam viuite Nymphæ,
Quæ colitis nemora, & fontes, Neptuniáque arua,
Cúmque tuis viuas calamis Deus Arcadiæ Pan,
Fluminàque alta tuis valeant celebrata poëtis.
Et veſtro ò Muſæ comites vos addite Phæbo:
Non ope Pieridum indigeo, nec Apollinis aura,
Carminibúſque deos, vatum de more, deáſque
(Quas gens priſca olim coluit, gens inſcia recti)
Inſeruiſſe meis vltrò me pænitet, & tot
Otia me incaſſum quondam triuiſſe canendo,
Nunc veniam ſupplex oro: tu parce precanti
Ob nomen pater alme tuum, culpámque remitte.

IN

IN INNOCENTES Ad Alexandrum Farneſium Cardinalem.

SALVETE *ætherei flores, quorũ haud vagus imber,*
Non ros nocturnus, non in conualle virenti
Vmbra olim eduxit cælo capita alta ſereno;
Sanguine ſed veſtro perfuſi, prima tuliſtis
Præmia, & ante alios primos meruiſtis honores:
Nam vos omnipotens pro Chriſti nomine mortem
Oppetere elegit, cælique aſcendere ſedes.
Vos olim ornaſtis ſiluas, & prata colore
Purpureo, cui Narciſſus, cui purpura cedit,
Vóſque coronaſtis (ſilueſtria numina) Nymphas:
Limina nunc, celſiq; domos decoratis Olympi,
Et ſuperi veſtris incingunt tempora ſertis.
O fortunatæ matres, quibus edere fœtus
Hos licuit, ſuperis gratos, ſummóque parenti:
Tu verò Stygijs proles emiſſa latebris
Herodes, hoc auſe nefas tam triſte, iaces nunc
Infelix ſontes inter, ſcelerúmque phalangas,
Hic vbi Sol non luce noua, non Luna tenebras
Depellunt, vbi flamma vorax, et viua per vmbras
Nigrantes Erebi diffundunt lumina numquam:

At pueri inſontes animæ, & felicia cæli
Agmina, celſa colunt latè fulgentis Olympi
Atria, ſidereáſque domos, lætóque fruuntur
Aeterni patris aſpectu, téque aſpra ferentem
Supplicia, & merſum tenebris, Erebíque profundo
Inuiſum aſpiciunt, & regna obſcura tenentem,
Et ſumit de te ſceleratas impia pœnas
Gens olim depulſa polo omnipotentis ob iram,
Quum primas cæli ſedes, & patris honorem
Poſceret æterni, quam tunc detruſit ad oras
Infernas Erebi, regnúmque reliquit, & vmbras.
Suppliciter proni ante aras te Chriſte precamur
Infantum pro vagitu, pro ſanguine fuſo,
Vt nos iactatos tantarum in turbine rerum,
Atque inter ſæui funeſta pericula belli
Defendas pietate tua: nam te ſine tamquam
Aëriæ nubes erimus, quæ flatibus actæ
Huc illuc Boreæ magnum per inane feruntur,
Et tamquam ſine luce dies, ſine frugibus agri.
Interea illuſtres animæ, Farneſia veſtro
Tuta domus ſit præſidio, quæ pectore toto
Vos colit, obſeruátque, & multa cum prece ſupplex
Accumulat veſtras donis ingentibus aras.

IN

In natalem Christi Ad Ioannem Moronum Cardinalem.

PROGENIES *diuina nouem iam menſibus actis,*
Alma MARIA *tuo prodijt ex vtero.*
Hæc nox clara magis, quàm lux tua lucifer ô Sol,
Quum magnis pelagi fluctibus egrederis.
Lætantur cæli ſublimia regna, nouúmque
Diffundunt Phœbi lumina clara diem.
En ſua paſtores læti magalia linquunt,
Cæleſtéſque chori myſtica ſacra canunt.
Humana verum reſidet ſub imagine numen,
Natalíque ſuo numina falſa fugat.
Hic puer eſt, quem venturum dixere priores,
Concordi vates carmine veridici.
Hic hominem patrijs tranſcribit ſedibus alti
Aetheris, atque aperit lucida ad aſtra viam.
Per te igitur, matrémq. tuam noſtras, precor, audi,
Quas tibi non ficto fundimus ore preces.
Turcarúmque acies, & iam data vela per vndas
Sancte puer rapidis merge ſub æquoribus.
SIC *faciat Morone Deus, qui temperat oras*
Aetherias, terraq; ſolum, & maria alta, ſuúmque

Ob

Ob numen ferat auxilium ſulcantibus æquor
Turbatum nobis miſeris, animóſque potentum
Diſcordes nunc, accendat capere arma tyrannum
In nos Iſmarium terra, pelagóque ruentem:
Pellere & hunc vltra fines, qua currit Hydaſpes,
Et qua gemmiferis Indus defertur arenis.
Hoc idem omnipotens præſta mortalibus ipſum,
Qui te ritè colunt, tua qui mandata ſequuntur.
Sit ſatis illum ipſum toties egiſſe triumphos,
Non ſemel & noſtras vrbes petiſſe nefandis
Excidijs, & bellando ſpolia ampla tuliſſe.

IN D. ANTONIVM ABBATEM Antonij Perenotti Granuellani Cardinalis nomine.

ANTONI *nemorum cultor: cui pocula lymphæ*
Fontis erant, paruóque ſopor magè gratus in antro,
Quàm molli recubare toro, gemmíſque coruſco,
Dum coleres loca ſenta ſitu, ſiluáſque paluſtres.
Nunc ſacras hederis orno bicoloribus aras,
Limináque incendo templi, poſtéſque ſuperbis
Exquilijs poſitos lauru, myrtóque virenti,
Narciſſo pro purpureo, calthâque, roſâque,

Accen-

Accenſáſque faces teneo de more vetuſto
Ante aras ſupplex, ego qui te nomine reddo,
A teneris, & te veneror pater optime, non te
Pæniteat patrem æternum, natúmque precari,
Vt me reſpiciat, longúmque extendat in æuum
Hanc vitam, ſine labe tamen, ſine crimine, qualem
Duxiſti quondam in Pharijs nouus incola ſiluis.

In Ieiunium,
Sub perſona Antonij Perenotti Granuellani Cardinalis.

INSTITVERE *patres ſancti ieiunia quondam,*
Qui Chriſti tenuere locum, qua Sol cadit, & qua
Tollit ſe, illius veſtigia fida ſequuti.
Hic etenim petijt montana cacumina, pérque
Quadraginta dies epularum, & nectaris expers
Vixit vbi ſolus, patriíſque ignotus in oris.
Poſtquam artus ſacros Iordanis tinxit in amne,
Findit Idumæos placidis qui curſibus agros,
Gemmanti Gange, atque ipſo felicior Hermo,
Ardentes quamuis auro deuoluat arenas.
Namque ſuis artus meruit contingere lymphis
Illius, ſumma è cæli qui venerat arce.
Tu verò, mea ſit fragilis cùm vita, meaq;

 Mortis

Mortis meta incerta, operum da Chriſte tuorum
Partem aliquam me poſſe ſequi, pariterque laborũ.
Túque idem ſpes certa hominũ, & ſtellãtis Olympi,
Atque tui patris æterni mirabile lumen,
Aſpice me, placidúſque meos nunc dirige greſſus:
Nam felix eſt ille, tuo quem Chriſte tueris
Præſidio, non humanos qui quærit honores,
Non magnas Orientis opes, aurámque potentum,
Sed ponit ſpem certam in te Dominóque, Deóque.
Próque tuis in me meritis, te laudibus vnum
Proſequar (vt teneor) nec erit nox vlla, diéſque,
In qua non referam meritas ante omnia grates,
Dum reget hos artus cæli ſpirabilis aura.

IN D. LAVRENTIVM; Cuius templum ad Ollium flumen, Io. Franciſco Gambaræ Cardinali commiſſum eſt.

DIGNE *magis lauri* LAVRENTI *digne corona,*
Quàm qui duxerunt reges, populóſque reuinctis
Poſt tergum manibus, claróſq. habuere triumphos.
Atque aliquis quæ nunc refero ſi fortè negabit,
Conferet æternis idem mortalia rebus:
Namque alias tu morte tua cæleſtibus oris

Victor

Victor agis pompas, alia inſuper ipſe trophæa,
Et merita expectas ab eo, qui ſuſtinet axes
Aeternos, infuſa tuos dum flamma per artus
Vrebat poſitum ſupra (miſerabile) corpus
Ignitas crates, tranſuerſáque robora ferri,
Flectere te haud Decius potuit precibúſue, miníſue,
Imperio qui tunc Lauinia ſceptra tenebat,
Quin tu theſauros Xiſti, cui cura ſacrorum
Credita erat, Petríque vices de more ſubibat
In terris, Chriſti dederis pro nomine egenis
Prodigus & vitæ, & temnens fera iuſſa tyranni.
Dum tua LAVRENTI *celebramus ſacra quotannis,*
Franciſcus commiſſa ſibi quæ Gambara ſeruat
Non procul à viridi ripa, quà labitur vndis
Ollius irriguis, quæ ſunt tibi templa dicata,
Ipſe refer laudes magni omnipotentis ad aures
Quas canimus, licet indignæ ſint nomine tanto.
Effice, vt illum ipſum noctéſque diéſque ſequamur,
Vt ſolet vmbra hominem, quacunque incedit, et illi
Grata ſimul, quæ nunc facimus, ſint vota, precéſque.
Et tu Chriſte tuum populum ne linque, tenet qui
A te demiſſum nomen, qui mæſtus ad aras
Cælum onerat votis (dum templo ſueta miniſtrant
Sacra ſacerdotes) animóque & mente precatur,

Vt ſeſe à diro defendas hoſte, tenet qui
Arma manu, & noſtros fines inuadit, & atros
In nos, exitiúmque tui fert nominis ignes:
Quod minitans delere parat, niſi tu pater illum
Auertas virtute tua, & cæleſtibus armis
Iuſtitiæ, & nobis reddas læta otia pacis.
Nec ſatis hoc, tua iam populantur ouilia gentes,
Quæ rectas liquere vias, iuſtúmque, piúmque.
Inſuper & mortem intentant. tu diſijce campis
Inſtructas illorum acies, turmáſque feroces.

In ascensionem Domini, Ad Antonium Perenottum Granuellanum Card.

CHRISTVS *vbi ſuperas cæli remeauit ad oras*
Infernáſque domos, & tartara nigra reliquit,
Ille quater denos per ſoles patribus olim,
Quos vltrò elegit, Solymis eſt viſus in oris,
Illis multa ſuper regnum cæleſte locutus.
Deinde ad Oliueti montem contendit, & omnes
Ad ſeſe conſanguineos, ſocióſque vocauit,
Dilectámque ſimul matrem, comitéſque parentis:
Aethereas vnde ad ſedes radiantis Olympi
Aſcenſurus erat coràm, cælóque locandus:

Qui

Qui ſecus ac iuſsi faciunt mandata parentis,
Imprimis tua læta parens, & virgo per vrbem
Incedit magno cætu comitata piorum:
Qui Chriſti fuerant veſtigia certa ſecuti,
Vertebántque graues in dulcia gaudia luctus.
Mox ſubeunt noti vicina cacumina montis.
Vt verò venere locum, ſeruator IESVS
Effulgens radiis cæleſtibus aſtitit, & ſe
Oſtendens roſeo ſic eſt ille ore locutus.
Ha*ctenus ô fratres vobiſcum ducere vitam*
Fas fuit, at me nunc genitor in certa reuerti
Regna iubet, cælique domos. vobis ego pacem
Aeternam linquo, nec plura effatus, ab alta
Paulatim ſe tollit humo, vultúmque manúſque.
Ad cælum tendens cæleſtes fertur in auras.
Viderunt comites illum ſupera alta petentem:
Deuicto qui rege Erebi fulgentia ſecum
Aſtra ſuper, liquidíque vias ducebat Olympi
Felices Heroum animas, quas carcere nuper
Tunc regio, & latè tenebris obducta tenebat.
Qui natum, patrémque ſimul per læta canebant
Carmina, & illorum reſonabat cantibus æther.
Quin etiam agnouere Deũ, Dominúmq. paternas
Intrantem Chriſtum ſedes nitidiſsima cæli

 Atria,

Atria, & ex alto noua lux effulſit Olympo,
Et circùm ſonuere nouis concentibus auræ.
Antoni hos etiam mittit tibi Gambara verſus,
Queis Chriſtum cecinit cælum aſcendiſſe, patréſque
Electos olim ad tutos duxiſſe receptus.
Atque vtinam ille idem Chriſtus ſtellantis eaſdem
Nos vocet ad cæli lætas poſt funera ſedes.

In die Pentecostes, Ad Marcum Antonium Amulium Cardinalem.

Quinquaginta oriens aurora peregerat orbes,
Carcere poſtquam Erebi fracto, patribúſque ſolutis
Victor ab infernis Chriſtus ſurrexerat oris:
Quum patres numero bis ſeni, turbáque multa,
Fœmineóque parens Chriſti circundata cœtu,
Secretáque in ſede Sion collecta latebat,
Atque expectabant cæleſtia dona magiſtri
Iam promiſſa ſui: ſubitò cùm lux noua circùm
Viſa polo eſt (ignis tanquam) deſcendere ab alto
Ingenti ſtrepitu, magnóque immixta fragore,
Et totam luſtrare domum, patrúmque ſupremis
Verticibus viſæ ardentes conſidere linguæ.
Agnouère Dei numen, promiſſáque dona

Bis ſeni proceres, pariterque electa piorum
Turba virûm, quibus infuſum diuinitus almæ eſt
Aurai æthereum lumen, mox numine pleni
Mentémque, pectúſque nouo, noua verba ſerebant
Ad populum, & mira celebrabant laude parentem
Aeternum, natúmque ſimul, cælique miniſtros.
Egreßique domo, conſtanti voce ſalutis
Auctorem magnis referebant vocibus vltrò.
Hic aderant variæ gentes, linguíſq; habitúque,
Quæ patrio audierant illos ſermone loquentes.
Atque aliquis rerum ſacrarum ignarus, & almi
Occulta virtute Dei venientis ab alto
Aethere, miratus ſtupet in nouitate, videt dum
Talia, & ingenti tecta inſonuiſſe fragore,
Agnoſcítque ſuæ diſtincta vocabula linguæ.
Aduenit tunc ille dies, quem dixerat olim
Numine cæleſti mentem perfuſus Ioël,
Vulgus iners quamuis latices hauſiſſe falerni
Diceret, & ridens effunderet impia verba
In Chriſti innocuam gentem, pretióque redemptam
Sanguinis è latere illius pendentis in alto
Stipite: ſed poſtquam diuinum infudit amorem
Mentibus illorum ſinceris ſpiritus, alto
Deſcendens cælo, haud flammã, ferrúmue timebant

Bis ſeni proceres, & cætera turba piorum,
Intrepidi at mortem per verbera mille petebant
Spargentes populis diuini ſemina verbi.
Vnanimes Chriſtum ante aras oremus Amuli,
Qui patriæ decora alta tuis virtutibus auges,
Pectoribus noſtris ille idem ſpiritus adſit
Infuſus, domino in ſeruos demiſſus ab alto,
Nóſque regat ſenio effœtos, multóque labore.
Nam dulces abiere dies; ceu verſus ab Euro
In tenues auras montano in vertice fumus,
Et tamquam torris rapido conſumptus ab igne.
Atque vtinam Chriſtus nobis concedat, vt ipſum
Regnantem cælo poßimus cernere, noſtros
Poſt obitus, miſeræ poſt tanta incommoda vitæ,
Viuentem poſtquam in terris non vidimus ipſum,
Verſantémque homines inter, populóſque docentem:
Iordanis quos irriguis interluit vndis.
Admittáſque preces vtinam pater optime noſtras,
Nam furor armorũ, & belli longè inſonat horror,
Noſtráque crudelis bello quatit oppida miles,
Et noſtrum ſcindit pelagus iam barbara claßis.
Has ponto tu merge rates, te vindice tamquam
Sint ſtipulæ à ventis agitatæ, ſint velut altis
Arentes ſiluæ in ſaxis: quas agmine facto

Inuol-

Inuoluit rapidis acies Vulcania flammis,
Immiſſiſque furit Boreas violentus habenis,
In nos qui ſæua arma ferunt, bellúmque minantur.

IN D. HIERONYMVM, Ad Antonium Helium Patriarcham Hieroſolymitanum.

O STRIDON *vrbs ante alias accepta parenti*
Aeterno, quæ ſunt poſitæ per pinguia culta
Dalmatiæ: namque ille tuus fuit incola, ciuíſque,
Eloquij fons illimis HIERONYMVS, *acer*
Defenſor veri, atque pij, rerúmque miniſter
Sedulus, & longè per quem ſcriptura relucet
Sacra, velut cælum, pulſa quod nube ſerenat
Riphæis veniens Aquilo violentus ab oris.
Nam tu reſtituis diuina volumina multis
Deprauata locis HIERONYME, *falſa refellens*
Peruerſorum hominum ſcriptis, nodóſque reſoluis.
Tu Syriæ longo coluiſti tempore ſiluas,
Bethlemiáſque domos ſenio confectus, ibíque
Sacris intentus ſtudijs, ſine labe beatam
Duxiſti vitam in terris, ſemotus ab omni
Cura animum, & vitæ curſu defunctus, Olympo
Nunc frueris, ſpectáſque Deum: qui præmia reddit

Digna tuis meritis, miro quem ſemper honore,
Atque humili coluiſti animo, & nunc cernis ab alto
Aethere Threïcium regem tua tecta tenentem
Imperio, atque Italas iam nunc conuertere ad oras
Mille equitũ cuneos, peditúmque, ratéſq. parantem.
Huic tu Chriſte tua primo in certamine dextra
Occurrens immitte fugam, voret vnda biremes
Iſmarias, miléſque ferus noſtro cadat enſe.
Túque tuum Antoni ciuem cum fletibus ora,
Aeternum roget vt patrem, ne nos quoque linquat
Inter tot rerum diſcrimina, tótque labores.

IN CHRISTI RESVRRECTIONEM, Ad D. Gherardum Epiſcopum Leodienſem.

O SALVE *ante alias anni Ver pulchrius horas,*
Dignius & vatum cantu ſuper æthera ferri.
Te florente etenim mortales induit artus
Chriſtus, & occubuit ligno, victórque ſepulchro
Mane reſurrexit, quum tertia fulſit Olympo
Orta dies, túque ipſa etiam pulcherrima, necnon
Fortunata dies, licuit cui cernere victa
Morte reſurgentem Chriſtum, vos plaudite cuncti
Mortales, illum celebrent volucréſque, feræq;,

Et quæ

Et quæ cæruleis pontus fert monſtra ſub vndis.
Túque diem qui Sol perfundis lumine, túque,
Quæ noctem Luna illuſtras, vos aſtra, choríque
Cæleſtes laudate Deum: nam regna pateſcunt
Inuia, deſcendente Deo: qui ſede parentes
Inferna merſos cælo miſeratus ab alto eſt,
Quorum animas ille inuiſit, quas carcere vaſto
(Pœnarum tamen immunes) ſpatioſa tenebat
Tunc regio, & latè denſis obducta tenebris.
At poſtquam ſuperas remeauit Chriſtus ad auras,
Sæpius ille idem Solymis apparuit oris,
Et tecti intrauit foribus penetralia clauſis,
Vulneráque oſtendit, ligno perpeſſus in alto
Quæ fuerat, ſocijs vndenis, & iubet illos
Tangere corporeos artus, non corporis vmbram.
Illum accumbentem menſis videre, loquentémque
Vt prius æthereas cùm cæli carperet auras:
Namque cibos vnà ſumſit ſtagnantis ad vndam
Geneſareth, aſſos piſces, hyblæáque mella
Cum ſocijs, ſéque eſſe Deum confeſſus in acta eſt.
Vidit eum genitrix, comites videre parentis,
Quæ Chriſti vacuum primæ aſpexere ſepulchrũ,
Atque intus poſitam chlamydem, velamináq. alba,
Et iuuenem niuea fulgentem in veſte, ſedentémque

Ad tumuli caput, & referentem viuere Chriſtũ.
Tu verò pater omnipotens, qui corda precantum
Aſpicis, & fuſis precibus placaris, & omnes
Turbine deprenſos Libycis in Syrtibus audis,
Nos audi, famulúmque ſacra quem ſede locaſti,
Sublimi & ſolio Gherardum protege, & illi
Da pie Chriſte tuas pecudes ita paſcere, qui nunc
Flumina curua Moſæ potant, & pabula tondent
Hoc duce, & optatos carpunt ad flumina ſomnos,
Commiſſas olim vt valeat tibi reddere nulla
Infectas ſcabie, non vellera cana pereſas
Illuuie, at tamquam fluuio demerſa ſalubri
Exuperent Parium marmor candore, niuéſque:
Atque lupos circum innumeros, & mille parantes
Inſidias procul à Belgis tu finibus arce.

IN DIEM ANNVNTIATIONIS Beatæ MARIÆ Virginis: Ad Hieronymum Garimbertum Epiſcopum Galleſanum.

V E R *erat, & tepidos ducebant ſidera ſoles,*
Frondibus atque nouis ſeſe, viridíque colore
Veſtibant nemora, & tellus lætata recentem
Ob partum, gremio flores, & gramina alebat:

Quum

Quum Deus omnipotens verſans promiſſa ſub alto
Pectore, quæ dederat patribus, qui celſa colebant
Oppida Iudææ, & ripas Iordanis, & vrbes
Samariæ, cæli ſtatuit demittere ab arce
Aequalem ſibi progeniem. mora nulla, miniſter,
Æterni qui ferre ſolet mandata parentis,
Aſtitit, & celerans eadem data mente recondit.
Ille coloratum linquens fulgentibus alis
Aethera, deuenit Galilææ ad virginis ædes
Exiguas: mox exequitur mandata, MARIAMq́;
Alloquitur (quæ tunc vates de more legebat,
Regali quondam qui oriturum ſtirpe canebant
Dauidis intacto ex vtero, & ſine labe pudoris
Virginei infantem IESVM) ſalue ætheris ingens
Gloria: namque in te ſola eſt diffuſa parentis
Gratia: cæleſtis tecum eſt Deus: illa repentè
Obſtupuit, dictis animum turbata loquentis
Talia: quæ ſecum dum mente euoluit, ab oris
Interpres miſſus cæli, ſic ora reſoluit.
Parce metu, virgo ante alias acceptæ parenti
Aeterno: tu concipies ſine ſemine prolem
Aetheriam, nonò paries quam menſe, vocabíſque
Hunc IESVM, qui magnus erit, ſummíque parentis
Vnica dicetur proles, ſceptrúmque tenebit

 Dauidis,

[library stamp]

Dauidis, ínque domo Jacob dominabitur, & non
Meta erit illius regni. tunc aurea virgo
Credidit hoc, dixitque, Viam tu effare modúmque,
Quò ſint hæc ventura mihi, téque inſuper oro
Ne dubiam, incertámque tuo ſermone relinquas:
Nam mihi virginitas eſt cordi certa: Deo quam
Rectori quondam ipſa animóque, et mente ſacraui:
Paruula cùm primùm fulgentia templa ſubirem.
Tum ſic veridico reſpondit nuntius ore:
Ipſe ſuperueniet cæleſtis ſpiritus in te,
Atque te obumbrabit virtus diuina, tegétque,
Fœcundámque aluum (dictu mirabile) reddet.
Tunc puer ætherius intra tua viſcera ſumet
Humanos artus, liquidáſque exibit in auras
Virgineo ex vtero, Solymíſque habitabit in oris.
Hæc tua progenies diuina vocabitur, alti
Cæleſtíſque patris dilectus filius: & nunc
Fert vtero promiſſam olim cognata virilem
Eliſabet tua iam ſobolem, procedit & illi
Inualidæ hic menſus ſextus: quamquam illa ſit æuo
Iam pridem confecta graui, ſterilíſque vocetur.
Nec mirum ô virgo, quoniam res nulla potenti eſt
Ardua, difficilíſque Deo, qui cuncta creauit
Ex nihilo: téque vllo etiam ſine ſemine matrem

Effi-

Efficiet. Tunc ſic excepit regia virgo.
En Domini ſum ancilla humilis: qui miſit ab arce
Te mihi ſiderea: promiſſáque compleat in me
Ille idem: nec ferre notos magnum per inane
Hæc mea diuini permittat gaudia partus.
Hæc cecini his ſacris ô Garimberte diebus,
Annua concelebrat dum templo feſta, tenet qui
Aeterni in terris Chriſti ſedémque, locúmque.
Hic vbi erant quondã celeberrima tẽpla Mineruæ,
Ritè Palæſtinæ ſed nunc ſacrata parenti:
Quæ genuit populis fontem pietatis IESVM.
Et nos vnanimes vnà cantabimus almæ
Virginis, & pariter matris Hieronyme laudes.
Tu quoque Chriſte tuæ diuinum ob matris amorem
In te, à te petimus, ne nos hoc tempore longa
Confectos ætate, tuo ſine numine linquas:
Sed ſerua incolumes, donec tibi noſtra placebunt
Obſequia, & noſtræ veniat meta vltima vitæ.

In direptionem vrbis Nicoſiæ, Ad Nicolaum Ormanettum Epiſcopum Patauinum.

NVNC *quoniã Iſmaria Turcarũ rector ab arce*
Extulit & belli ſignum, & crudelia bella

Mouit

Mouit in inſontes Venetos: quos fœdere rupto
Impius inuaſit; dehinc Cypris vexit ad oras
Bellantum turmas, vrbémque obſedit, & illam
Diripuit: tu caſum vrbis, plagámque recentem
Mecum vnà defle, cladem miſeratus acerbam
Ormanette: ſuas cui tradidit ætheris auctor
Paſcendas pecudes, quæ mollia gramina tondent,
Téque bibunt liquidos fontes paſtore, leuéſque
Medoaci carpunt ſecura ad flumina ſomnos.
Turca ferox, animíſque furens, infenſus, & hoſtis
Nominis ille tui, nunc clementiſſime Chriſte,
Florentem Cyprum inuaſit furialibus armis,
Euertítque tuam gentem, fuſóque tuorum
Sanguine inundarunt foſſæ, ceu flumina multis
Imbribus aucta ſolent ripis ſpumare; viróſque
Fœmineúmque genus; prædámque abduxit ad oras
(Relliquias belli) quas Boſphorus horrifer vndis
Verberat Iſmariis, iacuere inhumata per agros
Corpora pugnantum, nec erat qui roſtra ferarum,
Aut volucrum arceret, nec qui tellure iacentes
Obrueret terra iniecta, tua templa tuorum
Sanguine fœdauit miles pharetratus, & enſe
Horridus, & noſtri ſitiens, auidúſque cruoris.
Tu verò pater omnipotens miſerere gementum

(Qui

(Qui ſummo triſtes fundunt ſuſpiria cælo)
Quos vinclis tenet ille (ſuæ ludibria genti)
Et (ſint multa licet) tamen obliuiſcere noſtra
Crimina, noſtrorúmque patrum, procedere nec tu
Longius hanc iram permittas: quæ velut ignis
Iam pridem eſt accenſa, tuas at mitis habenas
Effunde irarum in Turcam, qui téque, tuóſque
Deſpicit, atque alios, non te vocat in ſua vota,
Nec fundatorem cæli, terræq́ fatetur.
Numen adumbratum ſed adorat, & inſuper illi
Templa dicat, ſacríſque idem tua templa nefandis
Polluit, atque tuas ſceleratis ritibus aras.
Affer opem, dicat ne forſitan hoſtis, Vbinam eſt
Illorum Deus? & dictis inſultet amaris.
Hunc tu ſterne ſolo, gentíque obſiſte feroci,
Noſtráque conſpiciant vindictam lumina, qua tu
Diſperdes meritis inſenſos cladibus hoſtes.
Tunc tua dicemus ſacris facta inclyta templis
Ante tuas poſiti multis cum laudibus aras.

IN CHRISTVM in cruce pendentem. Ad D. Læuinum Torrentium Archidiaconum Leodienſem.

TRISTIA *mortales vnà vos dicite mecum*

Carmina, funereíſque intendite frondibus aras:
Nam venit lugenda dies, qua purpureus Sol
Occuluit nitidos picea caligine vultus,
Et mundi hãc molem immenſam ſine luce reliquit,
Inq́; duas partes (viſu mirabile) velum
Ingentis templi ſciſſum eſt, diſciſſaque multis
Saxa locis, vitáque etiam defuncta piorum
Corpora multa patrum, tumulis incluſa paternis
Ad ſuperas rediere auras, ſurrexit ab oris
Infernis poſtquam Chriſtus, tellúſque repente
Illo eodem tremuit moriente inſperſa cruore
Exſpirantis heri, ſacro dum ſanguine cernit
Concretos crines, & apertum pectus acuta
Cuſpide, & ex ſpinis regem noua ſerta gerentem.
Te nunc ad lacrymas, téque ad ſuſpiria vates
Torrenti Lauine voco, cane triſtia mecum
Carmina ob immeritam mortem pendentis IESV
In cruce, & alternis modulans tua pectora dextra
Tunde manu, Chriſtíque alta ſuper arbore vtraſq́;
Palmáſque affixóſque pedes precor aſpice ferro,
Et madidum in pectus pendens caput: aſpice ſacrum
Sanguine reſperſum mixto cum puluere corpus.
Nos verò ante tuas multis cum fletibus aras
Chriſte te adoramus ſub prima tempora lucis.

Tu

Tu noſtras dignare preces audire, tuóſque
Aerumnis merſos tantis, rerúmque tumultu
Ingenti, varióque: premit nam Thracius hoſtis,
Hinc, illinc effrana virûm gens, quæ colit oras,
Quas Aquilo tundit ſpirans ſtrepitantibus alis.
Te verò Chriſtus patrias perducat ad oras
Incolumem, ſempérque regat: tua lucida donec
Tecta tua fabricata manu, ſedéſque tenebunt.
Nec dubita, non te linquet pia mater IESV,
Cuius ope æthereos cecinisti virginis ortus,
Vitámque, & ſanctos obitus, ſuperíſque receptam
Sedibus ad dextram nati, magníque parentis.

IN D. MARGARITAM.

INSIGNIS *facie ô virgo, & creſcentibus annis,*
Non formam tibi blanda Venus, moréſq. Minerua,
Ingeniúmque dedit, ſua nec pulcherrima dona
Contulerunt Charites; ſed cùm formaret in aluo
Te genitrix tua, maternos infudit honores
Luminibus tunc læta ſuis, animúmque pudore
Imbuit, & menti ingenium, moréſque decoros
Adiunxit, mixta pietate, ſed aurea virgo
Antiquum genus à proauis, atauíſque recenſes;

Qui belliq́ue, togaq́; inſignes ante fuerunt
Egregijs factis Heroes; & his quoque dignam
Te præſtas, proauiſque tuis, claráque tuorum
Progenie: nam quæ mater tibi contulit olim
(Quum nondum haurires diuini luminis auras)
Et retines, augéſque tuæ veſtigia matris
Obſeruans, & facta tui præclara parentis:
Sed Margariten referas cum nomine, quam tu
A teneris longè ante alias veneraris, amáſque,
Perlege, quos cecini Tiberina ad flumina, verſus
Virginis in vitam, & ſæuo ſub iudice mortem.
Floruerat Syriæ proceres Theodoſius inter
Diues opum, proauiſque potens: ſed tecta colebat
Ruſtica, & agreſtem ſiluis inglorius altis
Degebat placidè cara cum coniuge vitam,
In mare qua rapidos latices deuoluit Orontes:
Quum genita eſt forma pulcherrima Margarite:
Quam pater admirans nutrici lætus alendam
Mandauit: donec plenis pubeſceret annis.
At nutrix Chriſti obſeruans venerabile numen,
Clàm Margariten Chriſti præcepta docebat,
Quam prius abluerat ſacrato in fonte Sacerdos.
Tunc genitor facti non inſcius æſtuat ira:
Atque odijs natæ infenſus procul alta relegat

In iu-

In iuga nutricem, dilectáque pignora quodam;
Quà mons per noctis tenebras de vertice ſummo
Caßius Oceani proſpectat in æquore ſolem
Naſcentem: mixtúmq. diem cum nocte, priuſquam
Lucifer exoriens multa cum luce patentes
Oceani percurrat aquas, & littus Eoum:
At virgo quamuis laribus foret acta paternis,
Tectáque nutricis coleret, puróque leuaret
Fonte ſitim, victúmque darent ſilueſtria poma,
Veſtéque ſe indueret tenui; tamen illa Deorum,
Et magni ſimulacra Iouis, ritúſque nefandos
Sacrorum horrebat, Chriſtúmque immota colebat,
Et valle exiguum, ſpreto genitore, ſub alta
Cum nutrice gregem paſcebat: & Alcimedonta
Spernebat ſub valle Palen, Dryadáſque canentem.
Interea ſuperis (ſic indignatus) ab oris
Conceßit genitor, virgo quum paruula nondum
Explerat denos habitans in vallibus annos,
Defoßóque foret quamuis ditißimus auro,
Et mille innumeris inuerteret arua quotannis
Vomeribus, magníque greges, & mille bidentes
Tecta ſub Occaſum Solis proauita ſubirent:
Hæredem tamen hanc non vlla in parte reliquit.
Dum verò regni certas inuiſeret vrbes

 Oli-

Olibrius (erat imperij venerãda poteſtas
Quem penes) ibat iter, qua flexo ſemita calle
Ducit in aërium montis nemus, & iuga celſa:
Ducentem hanc pecudes vicina ad paſcua vidit
Bis ſeptem cui vix ætas adoleuerat annis,
Et vix ille oculos diuinæ in lumina torſit
Virginis, accepit ſubitò quum turbidus ignem
Oßibus; & ſenſit labi per membra furorem.
Illicet hanc iubet acciri, patriámque requirit,
Et genus, vnde domo. tũc ſic virgo orſa repente eſt:
Quid fruſtrà genus, et patriam, noménq. requiris?
Serua ego ſum Chriſti: cui mens obnoxia ſeruit,
Cui mea virginitas deuota eſt: nam mihi teſtis
Ille ſua eſt noſtra qui nos à morte redemit.
Protinus hanc famuli vicina ad mœnia ducunt,
Vrbis vbi clarúmque genus, noménque parentis
Commemorat, ſeſeq́; fidem, & veſtigia Chriſti,
Sanctáque iuſſa ſequi. cæco tunc carcere præſes
Includi iubet hanc præceps, quum purpureus Sol
Heſperijs iam quadrijuges immitteret vndis.
Et iam Sol rebus infuſa luce colorem
Reddiderat, ſolióque ſedens Olibrius alto
Vicinos circum proceres in templa vocabat,
Templa dicata Deæ Syriæ, quam gens colit omnis,

Quæ

Quæ Syriæ regna ampla colit. tunc ducitur ingens
Victima: quam Syriæq́ deæ, Phæbóque ſacerdos
Ornatus palma crines in limine mactat.
Parte alia iuxta celſi penetralia templi
Fronde coronatus cedri, myrtóque iuuentus
Marmoreum effuſo tingebat ſanguine limen,
Atque alius pecudem intonſam iugulabat in ignes,
Thuráque panchæis miſcebat odoribus: & iam
Finis erat, & honos aris iam factus, & omnis
Gens ibat; memor incluſæ quum virginis heros
Olibrius iubet hanc ad publica ſacra vocari,
Et MARGARITEN *dictis compellat amaris.*
Hos cedri ramos adole rerum inſcia virgo,
Imbuéque aurato cratere altaria, nec iam
Nutricis data te moueant mandata furentis,
Aut morere ante aras, veluti noua victima, ſummo
Grata Ioui, & ſacro perſolue in limine pœnas,
Et (de more) coles cæſo ſi ſacra cruore,
Te mihi connubio, & felici fœdere iungam,
Oſtróque, argentóque teges tua corpora, & auro,
Et Syriæ incedes magnas noua nupta per vrbes.
Tunc virgo geminas acies erexit ad altum
Aethera, cæleſtémque patrem ſic voce precata eſt:
Da mihi magne pater, cui mens mea cognita dudũ,

Omne genus me poſſe necis perferre, mináſque,
Et ſciat ille Iouis quàm ſit metuenda poteſtas:
Et quæ me teneat Chriſti fiducia, cernat.
Tu verò illuſas auro ſæuiſsime veſtes,
Regnáque, parce tuis, ſiqua eſt tibi cura tuorum,
Aequaléſque tuo generi ne deſpice tædas.
Tunc præſes grauiter dictis commotus in iras
Exarſit, triſtéſque parat de virgine pænas
Sumere, & actutum ſcindunt ſtridente flagello
Corpora, marmoreóſque ſacer cruor abluit artus.
Non aliter ſummo manant de vertice guttæ
Sanguineæ, quàm riuus aquæ labentis ab alta
Rupe ciens raucum campi per ſcrupea murmur.
Verberibus famuli inſtabant, dum vincla ſatelles
Necteret, vt victam traherent Iouis ante ſupremũ
Illorum numen: virgo ſed nulla recuſat
Vincla pati, pænáſque, neget dum ſacra, Iouémque,
Et poſitos temnat ſacris altaribus ignes.
At proceres tenera conceptum in virgine robur
Mirati, & ſubita moti pietate, rigabant
Ora pijs lacrymis, ſanctóſque inflectere ſenſus
Quærebant MARGARITÆ: *mæſtiq. tyrannum*
Poſcebant veniam pro virgine, quos tamen omnes
Voce graui increpuit: necnon conſulta refellit.

Auertit

Auertit præſes oculos, nec cernere quiuit
Sanguine reſperſos artus, & liuida membra
Verberibus. tunc ſede ſedens ſublimis eburna,
Hanc vinctam includi tenebroſo in carcere iuſsit.
Ecce autem virgo in tenebris dum clauſa iaceret,
Cælicolúmque preces regi (non territa cæco
Carcere, ſuppliciíſue) inflexo poplite fundit:
Illi monſtrum ingens exerto apparuit ore,
Oſtentans varijs perfúſa coloribus alba
Pectora, & ore vomens flammati ſulfuris ignes.
In ſpiram ſerpens mox ſe collegit, & ora
Pandit, vt ore fero ſacros abſumeret artus.
Ipſa ſed horribili necquicquam exterrita monſtro,
Non animo cecidit, ſed ſe cruce ſignat, apertáſque
Ingreditur fauces, & viſcera laxa draconis.
Nec mora, perfractis (viſu mirabile) coſtis
Procumbens iacuit per humum: illa illicet aluo
Exilit, ingentes & agit ſeruata parenti
Aeterno grates, concuſsáque pectora firmat.
Ter denos iacuit ſoles incluſa ſub alto
Carcere: & aſsiduis precibus, lacrymíſq. vocabat,
Vt mentem, viréſque ſibi daret omnipotens rex,
Sublimes cæli nutu qui temperat oras,
Aduerſus Syriæ proceres, & iuſſa tyranni.

Iámque alias illa ad pœnas, atque horrida lethi
Supplicia, atque iterum ad ſacras deducitur ædes:
Pinguis vbi multo taurorum ſanguine paſsim
Terra madet, tectúſque ſacer velamine cuſtos
Purpureo canos crines ſollemnia templis
Sacra facit, diuúmque ſimul donaria ſeruat.
Stabat odorata ex cedro teſtudine templi
In media Iouis effigies: & eburna tenebat
Sceptra manu: fulménque pedes radiabat ad imos
Ex auro. tunc ipſa comas reſoluta nitentes
Vt ſtetit in medio conſeſſu, proripuit ſe,
Inſedítque fores templi, Nabathæaq; ſummo
Thura Ioui dare iuſſa: Iouem deſpexit, & omnes
Aſsyriæ gentis ſuperos: quos illa negauit
Eſſe Deos, ſed monſtra Erebi damnata profundo.
Olibrius grauiter neglecta ob numina ſæuit:
Non aliter quàm ſæuus aper graue vulnus in armo
Accipiens, quum mortiferos euadere morſus,
Oráq. aperta canũ nequit, & iam tendere in altos
Non audet ſaltus, nec ſeſe opponere telis
Venantum: mouet arma acuens in prælia dentes.
In pœnas ſic mentem acuit Syrus aſper, & iras
Aggerat, vlciſcíque Deos, quos illa negarat,
Decreuit demens. mora nulla, bitumine tædas
Arden-

Ardentes afferre iubet, ſpoliántque miniſtri
Hanc chlamyde, & corpus flãmis crepitãtibus vrũt,
Et flamma ambeſos artus in flumine tingunt:
Vt liquor inſinuans ſeſe per membra dolorem
Gigneret occultum magis, & magis illa doleret.
Horror enim, pacémque animi, labefactáque furtim
Membra quatit, ſenſus concreto ſanguine torpent,
Quos vapor ignis edit: infuſáque lympha per artus.
Tunc flatus Boreæ gelidus ſpirabat ab alto
Vertice, & horridior ſolito nix quáque rigentem
Alta tegebat humum, quum ſurgit Aquarius, & ſe
Oſtentat, nimbóſque ferens, & frigora ſecum.
Crudelis, dirúmque nefas te poſſe putaſti
Virgineos artus admotis vrere tædis,
Aut fluuio frigentis aquæ diſſoluere nexus
Corporeos? tu fruſtrà animos ſpe tollis inani,
Tu MARGARITÆ *cæleſtis præmia vitæ,*
Theſauróſque paras cæli ſublimis in orbe.
Interea virgo patitur dum immobilis vndas,
Terra fragore graui mugit, tremefactáque templi
Tecta, trabéſque labant, & virgo illæſa tyranni
Conſtitit ante pedes, exutáque brachia vinclis
Suſpexit cælum. mentem formidine cuncti
Demittunt proceres, & mox per inane columba

Lapſa polò ſertum ore tulit viridantis oliuæ,
Et MARGARITAE *crines redimiuit: & alas*
Ingenti plauſu tollens in nubila fugit.
Sed dum tendit iter pennis ſublime per auras,
Confeſtim nituere leues radiantibus auræ
Luminibus, circúmq. humeros vaga flãma reluxit.
Vt volucrem populi conuentus vidit ab alto
Labentem cælo, & cæli regna alta petentem,
Virginis intactóſque artus, & labe carentes,
Tollebant proni palmas, Chriſtúmque canebant:
Pro Chriſto mortémque pati, nec vincla negabant.
Ille inſperatas nullo cum murmure voces
Hauſit vt, & populũ tendentem ad ſidera vultus,
Et patrios clara ſpernentem voce penates,
Quatuor actutum damnauit millia morti
Olibrius, cædíque iubet. tunc protinus vltrò
Vnanimes in fata ruunt, nec barbara quiſquam
Iuſſa horret, commiſſa timens, ſed ne ſibi præſes
Regna faterentur Chriſtum, iubet ocyus enſe
Virginis abſcindi caput, abſciſſúmque reponi
Ante oculos, gaudétque tuens delubra tonanti
Sacra Ioui iam virgineo reſperſa cruore,
Et mentem nequit expleri, dum cæſa virorum
Corpora tot templi ſacrato in limine cernit.

In

IN MAGOS,

Ad Thomam Aldobrandinum.

FELICES *ſaluete* MAGI, *quos præuia cælo*
Stella viam docuit magni ad præſepia regis,
Quem partu dedit in lucem Galilëia virgo,
Non longè quà Iordanis ſacra voluitur vnda.
Vos oro, vt ſicut tecto vidiſtis agreſti
Infantem poſitum, vitæ, noſtræq́; ſalutis
Auctorem, pòſt ſublimi cum ſede ſedebit,
Atque tubæ totus clangore remugiet æther,
Confeſtímq. animæ in ſua corpora prima redibunt,
Perpendet quas iudicio iuſtiſsimus acri,
Vnicuique ſuo pœnas pro crimine reddens,
Dignáque pro meritis perſoluens præmia iuſtis.
Sic olim liceat nobis hunc cernere eundem
Tranantem Solíſque vias, cælique tenentem
Atria, nóſque vnà ſecum ſuper æthera tollat,
Et ſtatuat, iuſti quà fulgent haud ſecus ac Sol,
Quum pelago emergit radians, lucémque reducit,
Adiutos precibus veſtris, & virginis almæ,
Quæ talem partum ſuperas effudit in auras.
Scripſimus hæc tibi pauca tuo dulciſsime iuſſu
O Thoma, quæ non Muſæ, non ſuetus Apollo

Digitized by Google

Dictauit: ſed blanda tui ſpirantis in aures
Aura meas, aura è cælo demiſſa ſereno.

Ad Aurelium Portulacam in patriam euntem.

A V R E L I *nec tu noſtris indictus abibis*
Carminibus, qui diues opum, clarúſque parentũ es
Sanguine, quíque animi præfulges dotibus inter
Tot ſummos ciues, quorum Mella irrigat vndis
Aequora, namq. & opes, & opem das largus egenis,
Inq; pios vſus conuertis quæ tibi iure
Naturæ liquit genitor, nec publica curas
Munera, ſed tota admirans colis omnipotentem
Mente Deum, procul à populi, rerúmque tumultu.
Tendentem in patriam nunc te comitetur I E S V S
Humani generis ſeruator, téque reducat
Ad nos incolumem, atq. vtinam ſpem ferre ſui me
Hanc ſinat ille idem Deus, & mea vota ſecundet:
Namque tui deſiderium non effluet vnquam
Ex animo Aureli noſtro, te Brixia donec
Ingenijs, opibúſque potens, armíſque tenebit.

PROS-

PROSPERI MARTINENGI BRIXIANI IN VIRGINEM MARIAM.

HIC *ſacer accliui Cæſennæ vertice collis*
Mœnia proſpectans, veliuolúmque mare,
Haudquaquam claro certans concedet Olympo,
Aut Idæ ſcopulis, vel tibi celſe Mimas.
Hæc iuga perpetuo niuium damnata rigori
Infœcunda iacent triſtibus apta feris.
Robora dant tantum ſilueſtribus edita dumis,
Et quernas glandes, ſanguineáſque rubos.
At noſter pingues fœcundo termite oliuas,
Atque vuas læto palmite collis alit.
Vbertim ficúſque, & poma rubentia fundit,
Educat & quicquid fertilis hortus habet.
Quid? quòd templa gerit, ſimulachráq. diæ Mariæ,
Quæ partu terris edidit alma Deum:
Qui potuit Ditis domuiſſe immania regna,
Et trahere ex atro ſæcula mæſta lacu.
Feſtinant Dominæ meritas perſoluere grates
Huc, voti compos fœmina, vírque ſui.
Haud ſecus hic gaudet miracula condere Virgo,
Ac lauri in dicta nomine ſede ſolet.

Nam

Digitized by Google

Nam vvarias hominum pellit de corpore peſtes,
Et preſſa infeſto crimine corda leuat.
Soſpitat inſano iactatos turbine nautas,
Et fugat infernos, monſtra proterua, lares.
Denique quiſquis hera depoſcit numina noſtra,
Protinus optata munera ſentit opis.
Præſertim huc vvolitant Sextili menſe frequentes,
Et celebrant obitum candida Nympha tuum.
Scilicet è terris quando ſublata caducis,
Diceris in ſuperos emicuiſſe choros.
Hic vbi ſolari rutilas veſtita nitore,
Et plexa inſigni ſidere ſerta geris.
Qualis in aërio Libano nitet ardua Cedrus,
Aſtráque ſublimi vertice fulua ferit.
Qualis odorato Cypariſſus ſtipite in auras
Tollitur in ſacro conſita colle Sion.
Qualis item platanus ad flumina ſurgit amæna,
Et luco in Cades æmula palma polo.
Ac velut in campis oleæ ſpecioſa renidet
Arbos, Pæſtano ſeu roſa pulchra ſolo.
Sed, precor, hanc ſedem ſerues, fidóſque miniſtros,
Scilicet, atque vrbem Diua benigna tuam.

HIPPO-

HIPPOLYTI CAPILVPI MANTVANI.

AD MARIAM VIRGINEM.

O virgo ſimul & mater lux maxima mundi,
Quæ ſummo cæli vertice læta ſedes;
Victa meis tandem lacrymis huc lumina flecte,
Splendidius puro quæ mihi Sole nitent.
Aſpice, vt inſanis iam iam miſer obruar vndis,
Ni tua det faciles aura beata vias.
Affer opem precor, ô noſtræ ſpes certa ſalutis,
Ipſa ſalus hominum de gremio orta tuo eſt.

Ad eandem.

Vt leuis in niueum vellus fluit imber ab æthra,
Sic in te cæli venit ab arce Deus.
Et te prole ſua fecit ſine labe parentem,
Et dedit æterna virginitate frui.
O felix Virgo tot honoribus aucta beatis,
Accumula tanti me quoque parte boni.
Te largam decet eſſe mihi, tua numina adoro,
Et Deus immenſas dat tibi largus opes.

Digitized by Google

Ad eandem.

CVM *ros vere roſam penetrat fulgentibus aſtris,*
Tum roſa (gemma velut) rore referta nitet.
Sic poſtquam Deus ipſe tuam delapſus in aluum eſt,
Sole magis vera luce repleta micas.
Hinc tu virginibus præſtas candore beatis,
Et meritò matrum te ſacra turba colit.
H*inc potis eſt virgo poſt partum ſola vocari,*
S*oláque virgineo mater honore frui.*

Ad eandem.

CVM *purum radijs vitrum Sol intrat acutis,*
Fert decori illius purpureo ore decus:
Sic Deus omnipotens in te cùm venit ab alto,
Addidit omne tibi luce nitente iubar.
O virgo, & genitrix diuino numine plena,
Prome ſalutifero dona beata ſinu;
Atque manu larga totum diſperge per orbem,
Pars aliqua vt Romæ decidat in gremium.

Ad eandem.

STELLA *Magis hodie ſeſe offert Solis ab ortu,*
Et nitida monſtrat luce ſalutis iter.
Hac duce cæleſti puero tria myſtica portant
Munera, de ſtabulis qui ſupera alta regit.

Tu

Tu quoque ſemper eas mihi prauia candida Virgo,
Dum regum regi debita dona fero.
Non grauis incedo myrrha, non thure, nec auro:
Sunt mea dona preces, & lacryma, & gemitus.

Ad eandem.

T E *celebrent alij diuino carmine, & alta*
E Pario ſtatuant marmore templa tibi:
Dent aurum & gemmas alij, quas India mittit,
Et quas è Rubro littore nauta vehit.
Ipſe tibi de viſceribus, non eruta terræ,
Lecta nec è pelago diuite dona fero.
Dona fero ex oculis lacrymas prece ſupplice miſtas,
Immiſtáſque preces ſupplicibus lacrymis.
Hæc vtinam ſint grata tibi pulcherrima Virgo,
Aurea vt in templis munera fixa tuis.

Ad eandem.

D V M *cæli regina tuo das oſcula nato,*
Sidera de terris qui premit alta pede:
Dúmque ille amplexus teneris tua colla lacertis,
Lac ſibi virgineis haurit ab vberibus.
Tu Petri feſſæ requiem pete candida cymbæ,
Quam ſpumoſa nigri verberat vnda maris.
Præbebit matri faciles tibi filius aures,
Ecce tuo lætus pendet ab ore Puer.

In D. barbaram virginem & Martyrem, Nomine Guglielmi Gonzagæ, Ducis Mantuæ.

Barbara, *quæ frueris cælo tibi ſanguine parto,*
Et quæ virgineo flore decora nites;
Accipe quod tota templum tibi mente dicaui,
Quáſque tibi fundo ſupplice ab ore preces.
Et caput æternis cùm mors adoperta tenebris,
Attigerit tacito limina noſtra pede:
H*uc ades, & tecum tenues me tolle per auras,*
Méque Patris ſancto candida ſiſte ſinu.

Ad D. Mariam Magdalenam.

Diva *tuo quæ rore genas aſperſa refulges,*
Vt roſa cæleſti rore decora nitet;
Sanctos ante pedes, largo quos imbre rigaſti,
Gutta quoque (heu) noſtro grandis ab ore cadit.
Ex oculis mea dona Deus ne reſpuat, vnam
Adde meis quæſo lacrymulam lacrymis.
Non me deſpiciet, ſi mecum flebis, amaræ
Non Petri lacrymæ plus meruere tuis.

AD OMNES SANCTOS.

FELICES *animæ, quas cæli in tecta recepit,*
Qui terram imperio ſolus & aſtra regit;
Veſtra mihi lux monſtret iter, mens anxia curis
Fluctuat, & portum feſſa ſubire nequit.
Vos ego curarum tantis ereptus ab vndis
Carmine, & aßiduo thuris honore colam.

IN D. PAVLVM.

PAVLE *pater doceas iter, & ſupera alta recludas,*
Eſt tibi fas nobis ſacra aperire Dei.
Ille licèt lucem ingenti tibi ademerit omnem
Lampade, quam nequeunt lumina noſtra pati:
Pòſt tamen eripuit tenebris te numine ſancto,
Et tibi permiſit ſcandere mente polum.
Tecum igitur me tolle precor, quo nubila vincam,
Et Patris æterni luce nitente fruar.
Noſtra tuum donis cumulabit dextera templum,
Injiciétque tuis maſcula thura focis.

IN D. LAVRENTIVM.

DVM *mentem, atque oculos* LAVRENTIVS *æthera in altum*
Tollit, & heu flammis membra cremantur, ait.
Quid me flamma voras? ſine ſenſu paſceris artus,
Iam pridem æterni me Patris vßit amor.

Ad innocentes martyres.

Insontes *pueri vos licet è ſinu*
Materno eripiat gens fera, & impio
Vos ſternat gladio, vt dente lupi ſecant
Abſtractum à ſtabulis pecus;
Veſtro veſtra tamen pectora ſanguine
Perfuſa innocuo clarius emicant,
Quàm Lunæ nitidæ cornua, cùm vagi
Solis lumina colligunt.
Adiunctos numero cælicolûm ſuis
Vos luſtrat radijs qui regit omnia,
Et vobis ſolidæ munere gloriæ
Donat pro nece perfrui.
Felices animæ vos iubar additis
Signis æthereis, & ſuperûm choris,
Sic gemmæ pateris dant decus aureis,
Fulgentíque roſæ vitro.
Ad vos ô pueri confugio ſenex,
Vt victus prece veſtra omnipotens pater
Aeterno accipiat me gremio, nigras
Cùm mors inijciet manus.
Quamquam purpureis edere adhuc labris
Neſcitis teneri mente latentia,

E cælo

E cælo tacitas ille tamen preces
Veſtras auribus hauriet.
Miſtus lacte cruor, quo rutilat ſolum,
E veſtris roſeis dum fluit oribus,
Se ſe tollet humo (vox veluti leuis)
Et ſummum feriet polum.
Pro Chriſti imperio & nomine qui ſua
Supponunt rigidis colla ſecuribus,
Extincti veniam ſanguine ſupplici
Nobis à Domino impetrant.
Vos ergo ante Dei ſuppliciter pedes,
Abſciſsi validis membra bipennibus
Mecum corde preces fundite, paruulis
Nam magnus Deus annuit.
Pro tantis meritis vos ego carmine
Nunc dicam patrio, nunc Latio canam,
Cùm terras rutila Sol retegit face,
Cùm nox in tenebris ſilet.

Ad eoſdem.

INFANTES *teneri non vos fera iuſſa tyranni,*
Perdere non ſæuæ vos potuere manus.
Nam delapſa polo puerorum turba per auras,
Excepit ſancto vos veneranda ſinu.

Et

Et mox ſublimes pennis ſuper æthera vexit,
Sic pueri pueros eripuere neci.

Ad eoſdem.

INSONTES *pueri dum veſtrum pectore verſo*
Interitum, lacrymæ noſtra per ora fluunt.
Sed vos ſuſpicio decoratos ſanguine veſtro,
Ducere felices per ſupera alta choros.
Sic arcana Dei tacitus mecum ipſe reſoluo,
Aurea qui miris dona dat vſque modis.
En vos, quos matrũ à gremio rapit impia turba,
Et iugulat teneros, excipit ille ſinu.
Præbet & immiti vitam pro morte beatam,
Veſtra ſuis paſcens lumina luminibus.

Ad eoſdem.

VOS *licet ô pueri ſternat gens effera ferro,*
Vt lupus imbelles dentibus acer oues:
Veſtra tamen cælo fulgent proprio ora cruore,
Vda velut pratis lilia rore nitent.
Felices animæ, lucem vos additis aſtris,
Non ſecus atque auro ſplendida gemma decus.

IN D. STEPHANVM.

SANCTE *pater quis te cecidit felicior vnquam,*
Quem magis in terris auxit honore Deus?

Ille

Ille tibi largus (dictu mirabile) aperta
Ante obitum cæli clauſtra videre dedit.
Téque ſinu mox excipiens ad ſidera vexit,
Et primùm æthereos iuſsit inire choros.
O te felicem, tuus alma veſcitur aura
Spiritus, haud ſaxis obrutus interijt.

M. ANTONII MVRETI
IN SANCTISS. TRINITATEM.

O NVLLIS *hominum peruia ſenſibus,*
Naturæ penitus ſola capax tuæ,
Cuius condita ſunt omnia numine,
Aeterna & monas, & trias.
Nato æquæue pater, natéque par patri,
Et manans ab vtroque inclyte ſpiritus,
Circumfuſa tuo nubila lumine
Noſtro diſcute pectori.
Da, mens per ſpeculum cernere te queat
Noſtra, & poſthabitis te petat omnibus,
E iuſsiſque tuis pendeat, & tibi
Soli dedita ſeruiat.
Tu clemens miſeris da veniam pater.
Tu fili miſeris ſterne iter ad patrem.

Tu ſanctum miſeris pneuma vagantibus
Præfer conſpicuam facem.
Simplex ætherij numinis vnitas,
Quæ diſtincta eadem eſt veráque Trinitas,
Aeternis vigeat ſemper honoribus
Et terra ſimul & polo.

In Dominica Paſſionis.

ÆQVÆVA *ingenito progenies patri,*
Vitam morte ſuis redderet vt ſua,
Se Chriſtus niuei velleris hoſtiam
Vltrò ſupplicio obtulit.
O erga immeritos mirus amor Dei.
Natum, quæ pietas, tradidit vnicum:
Vt pro mortifera fraude nocentium
Pœnas ſolueret innocens.
O non viſum aliàs ſacrifici genus,
In quo æterna Deo ſacra facit Deus,
Et mortem moriens opprimit, & ſibi
Ipſe eſt victima pontifex.
O Crux tincta ſacri flumine ſanguinis,
Olim ſupplicium mancipiis graue,

Nunc

Nunc regum capiti præcipuum decus,
Te flexo colimus genu.
Simplex &c.

IN DIE PENTECOSTES.

LVSTRA *noſtra tua pectora lampade,*
Qui quondam, altiſono ſpiritus à patre,
Luſtraſti vnanimes, miſſus, Apoſtolos,
Linguis diditus igneis.
Confirma dubios, dirige deuios,
Conſolare tui muneris indigos,
Letalíque animos frigore torpidos
Sanctis ignibus excita.
Mens doctrinam auidè noſtra bibat tuam,
Perſtétque aßiduè tota Deo calens,
Et ſpem firmam in eo conſtituens ſibi,
Terram pro nihilo putet.
O rerum alme ſator, certè homines ſumus,
Quamquam indigna, tuæ plaſmata dexteræ.
Ne fer, quos tua vis ex nihilo extulit,
Aeterno exitio obrui.
Simplex &c.

I. FRANCISCI FERRARII MVTINENSIS.

Ad matrem ſemper virginem.

QVÆ iacens noſtrum genus ob prioris
Feminæ morſum vetitum ſalubri
Subleuas partu, cohibéſque ſummi
Numinis iram:
Diua polluto licet ore iniquus
Semper intactam prece te fatigem,
Tu tamen fuſas cape lenis imo à
Pectore voces.
Vela retrorſum dare iam laboro,
Iámque deſertos iterare curſus,
Et graues tandem pepuliſſe nitor
Te duce curas.
Audeo fidens, habeor tuorum
Iam diu namque in numero clientum,
Vt ſoles, adſis miſerans tuum me
Sedula cuſtos.
Tu tui ſponſa vnigenæ, parens, &
Filia exaudis, ſolióque in alto
Collocas quem vis, reſeráſque dictis
Maxima cælum.

Qui

Qui tuas ergo puer ante mammas
Inclytus ſuxit, tibi ſemper hærens,
Se mihi per te poſita benignum
Præbeat ira.
Sancta concedat; pius vt capeſſam
Iuſſa, & euicto nimis inſolenti
Hoſte, cæleſtes valeam beatus
Viſere ſedes.
Rebus aduerſis, ſimul & ſecundis,
Augeat clemens, minuátue iuſtus,
Cuncta me ſemper tolerare forti
Pectore donet.
Temporis longos tribuat malè acti
Defleam errores, reliquúmque mente
Integra, illius memoríque degam
Leniter æuum.
Det frui per fas valido paratis,
Spiritum necnon auidum domando,
Aeſtuent ſemper, velut Aetna, ſanctis
Viſcera flammis.
In diem atque horam ſine te vacillans
Nequior fio, vitiis & vſque
Pronior: quæſo facilem ruenti
Porrige dextram.

Tollere eſt veſtrum, cecidiſſe noſtrum,
Supplicem tollas memor ipſa, prolis
Te Dei effectam ex hominum recentum
Crimine matrem.

In diem ſacrorùm Cinerum.

IN *furias homines heſterna luce ruebant,*
Ceu pecudes, vera quæ ratione carent.
Nobilis huc illuc agreſti tectus amictu
Dum currit, ſtultum ſeſe humilémque facit.
Regis habet ſpeciem pauper, iuueníſque puellæ,
Nititur at pueros aſſimulare ſenex.
Peruigiles duxere choros, Veneríque, gulæq;
Indulſere, velut Bacchica ſacra colens.
Aſt hodie caſti formæ, mentíque priori
Redduntur, ſicci templáque ſancta petunt.
Quiſquie nouus Polemon, conſperſus puluere crines
Mutatur ſubitò: tantáne vis cineri?
Hei mihi puluis homo eſt, terra formatus & idem
Vertetur mutum protinus in cinerem.
Talia quis memorans ſibi, non reſipiſcat, & actum
Non doleat vitæ tempus inane ſuæ?
Nil igitur peccare volens memor illa parentis
Sit terræ, quoniam venerat vnde, redit.

FINIS.

IVDICIVM B. ARIAE MONTANI
ex numero eorum qui in Belgio librorum
cenſuræ præpoſiti ſunt.

PERLEGI *Laurentij Gambaræ Brixiani precationes ad Deum, Sanctorúmque ſalutationes ſedecim; & Proſperi Martinengi Brixiani Siluulam Elegiaco carmine ad Diuam Virginem; et Hippolyti Capilupi Mantuani ſalutationes & precationes pias ſeptendecim; præterea Antonij Mureti Odas tres, & vnam cum hymno Elegiaco carmine à Ioanne Franciſco Ferrario Mutinenſi compoſitam; quorum omnium carminum lectionem piam vtilémque eſſe cenſeo, nihilque offenſionis afferre poſſe pijs mentibus, & poëticæ orationis atque elegantiæ non expertibus. Datum Antuerpiæ* v. *Id. Mart.* CIↃ. IↃ. LXXII.

B. Arias Montanus

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum eſt, ne quis alius præter Chriſtophorum Plantinum, librũ hunc, cui titulus eſt, *Laurentij Gambaræ Brixiani precationes ad Deum*, &c. imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalémue habeat. qui ſecus faxit, pœna fiſco Regio exoluenda multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expreſſum eſt, Dato Bruxellæ, Anno M. D. LXXII. X. Aprilis.

Signat.

I. de Witte.

AD DEVM GRATIARVM ACTIO, PRO VICTORIA DE TVRCIS HABITA,

Laurentij Gambaræ Brixiani.

EIVSDEM
In Regem Turcarum poſt
amiſſam claſſem.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Regij Prototypographi.
M. D. LXXII.

AD DEVM GRATIARVM ACTIO, PRO VICTORIA DE TVRCIS HABITA,

Laurentij Gambaræ Brixiani.

IAM *tandem pater omnipotens dignatus ab alto*
Es noſtras audire preces, gemitúſque tuorum,
In vinclis quos ille ferus noſtríque, tuíque
Nominis hoſtis habet; vel carcere detinet atro:
Ferre & opem nobis tantarum in turbine rerum,
Et poſt bellorum tam ſæua incendia, tótque
Exciſas ferro gentes, amißáque regna.
Nam nec erat ſpes vlla fugæ: furibundus & hoſtis
Terruerat pontum, & terras victricibus armis:
Et claſſe Adriacas valida penetrauerat oras:
Oppidáque, & pelago, & terris inuaſerat vrbes:
Atque inimicũ ignem ſecum, cædéſque ferebat.
Induerat quos ſe in laqueos, nec ſenſerat: & non
Quid poſſet, rex ô cæli, tua dextera, norat.

Vnde agimus tibi nunc tanto pro munere grates:
Et templis pia thura damus: per templa, viáſque
Debita ſacra tibi canimus: nam dextera partim
Threiciam claſſem tua merſit in æquore: partim
In noſtras impulſa manus eſt, te duce: & ingens
Turcarum intepuit reſperſus ſanguine pontus.
Nam nec habet certas tua magna potentia metas:
Nec præſcripta tibi eſt: ſed tu potes omnia ſolus,
Tellurem & pelagi liquidas cõuertere in vndas,
Et mare tellurem in ſolidam. tibi paruit æquor,
Æquor Erythræum: Solymæ dum robora gentis
Tranſirent vaſti ſicco pede marmora ponti:
Atque minas fugerent duri Pharaonis, et arma.
Namque tuo iuſſu diſceſſit tunc maris vnda,
Hinc atque hinc ſaxi in faciem durata repentè:
Hebrææ inferrent greſſus qua parte phalanges:
Quæ retrò tunc deinde fluens, cõiunctáque currus
Inuoluit pelago, Mareotidáq. arma ſequentum.
Nunc verò non ſe pontus diuiſit: at vnda
Strata, ſilénſque (tuo ſed non ſine numine) ventus
Auxilio noſtris fuit: & tot clara per annos
Præteritos virtus, & formidabile nomen
Turcarum in ventos abijt. tunc gentis Iberæ,
Atque Italæ ad cælum bellando gloria ſe ſe
Extulit:

Extulit: inuictámque olim per cærula claſſem
Haud noſtræ timuere rates: non impetus illos
Barbaricus iuuit, ſparſúſque per æquora clamor.
Nam noſtra haud Lunæ ſpeciem vexilla ferebāt:
Sed cruce pendentē Chriſtū, palmáſque, pedéſque,
Traiectúmque latus ferro, pariterque parentem
Aſpera dilecti lacrymantem funera nati.
Gloria tota tua eſt: neque enim victoria noſtro
Conſilio, aut armis parta eſt, aut viribus vllis:
Et miles ferus ille ſuo ſperabat in arcu,
Et gladio: quo iam toties cæſo hoſte triumphos
Egerat, & victor prædas portarat ad oras:
Inſonat anguſta quà Boſphorus horrifer vnda.
Quid dicam, ô Aſiæ regnator ſæue? Deus te,
Quē colimus, meritóq. ſacras veneramur ad aras;
Proteret, haud aliter quàm læti graminis herba
Cornipedis pede preſſa gregis. dicámque ego: Vidi
Regem Aſiæ florentem opibus, regníſque potentem,
Elatúmque animo, & tumidum præcordia faſtu;
Non ſecus, ac cedri alta comas ſublimibus arbor
Nata in verticibus Libani: ſed luce ſequenti
Dum redeo; rex non vſquā: ſed nec leuis vmbra
Corporis illius, nec gloria parta ſub armis
Vlla erat, aut rerum veſtigia facta ſuarum.

 Et

Et nunc tempus adeſt, quo te ſulcaſſe pigebit
Jonios fluctus, & claſſe intraſſe profundum
Adriacum: tuáq. arma armis concurrere noſtris
Permiſiſſe: Deus cùm nos nunc protegat: & nunc
Pro nobis (vt tu ipſe vides) bella aſpera pugnet.
Tunc ego lætitia ingenti cumulabor: & axes
Vertice contingam cæli: dehinc ora reſoluam
In laudes ô Chriſte tuas, magníque parentis:
Qui ſolus pontum, & tellurem condidit: & non
Se folia vlla mouent tanti ſine numinis aura.
Ceſſabo & nunquam tua facta intexere noſtris
Carminibus, paritérq. tuos memorare triūphos.
Nam victi cecidere hoſtes: paucíque (cruore
Aſperſi tamen) ad ſedes rediere paternas:
Et ſua viderunt verſis vota irrita fatis.
Te mare, te tellus, cæli te regia laudat,
Cæleſtéſque chori, lætæq; per oppida gentes
Europæ, quæ te Dominum, patrémque fatentur:
Inſigni ſuper aſtra ferunt te laude, tuúmque
Nomen; & annales condūt; quibus inclyta facta
Deſcribunt: quæ dextra potens tua fecit in vndis
Ionijs: noſtri vt poſſint hæc ſcire nepotes:
Teq; colant vnū, penes eſt quem quicquid ab alto
Aſpectat, cæli cùm Sol tenet arduus oras:

Iſtiúſ-

Iſtiúſque ſacræ memores ſint lucis: & aras
Ante tuas tibi digna canant præconia laudis.
Túque illorum animas, fuſo qui ſanguine pro re
Romana, ſacríſque tuis, patriáque ruenti
Vulnera per, pulchrámq. necẽ cecidere ſub armis,
Sidereas ſupra ſedes, qua fulget Olympi
Regia, duc tecum: & tuta ſtatione repone.
Et vos ætherei fontes, quos non vagus imber
Verberat: aut pedibus turbat fera, vel grauis æſtus,
Aut ramis folia arboreis delapſa: ſed eſtis
Perſpicui, gelidíque, Deum laudate: manu qui
Pro nobis valida noſtros pugnauit in hoſtes.
Tu quoque Sol, qui vidiſti ſublimis ab alto
Aethere pugnantes pacata per æquora puppes:
Et nunc tu canere, atq. vrbis per compita pompas
Ducere ſolemnes lætus nos aſpicis: heu quàm
Exiguæ ſunt, & tenues, te iudice, grates
In nos pro tantis meritis: quæ contulit ille,
Ille ſator rerum, & tanti certaminis auctor.
Iam circum ſeptem colles, quos diuidit vnda
Tybridis: & curſu præclaram interluit vrbem,
Lætitia magna exultant: atque ardua voces
Terrarum lætas ad ſidera lucida iactant,
Atque nouis reſonant paſſim concentibus auræ.

Ipſa

Ipſa coronatis Tuſcum mare cornibus intrant
Flumina; quæ currunt de fontibus Apennini:
Certáque venturis declarant gaudia ſæclis.
Túque Pie ante alios lætare ô quinte, tenes qui
Peruigil in terris Chriſti ſedémque, locúmque.
Nam longè es felix: ſub quo Deus optimus hoſtem,
Hoſtem opibus, ſimul & terra, pelagóq. potentem
Merſit in Ionijs vndis: qui fœdere rupto
Impia in inſontes Venetos iam verterat arma:
Et Cypri regno expulerat: victórque tenebat
Totius pelagi imperium. ſed det tibi tantum
Omnipotens vitæ ſpatium: quò cernere poſsis
Illum amittentem terras, amiſit vt æquor:
Et dantem meritas, effuſo ſanguine, pœnas:
Pacatum & videas lætis ſucceſsibus orbem:
Errantéſque greges Romana in ſepta reducas:
Qui vacuos tondent ſaltus, dumetáque ſyluæ
Hercyniæ: gelidíque bibunt qui flumina Rheni:
Quóſq. ferus verſat paſtor per prata Britannus.
Nam tua Barbaricæ populantur ouilia gentes,
Quæ rectas liquere vias, iuſtúmque, piúmque.
Tu iuuenem pater alme tua pietate, tuúmque
Ob numen ſerua incolumem: quem bella gerentem
Indomitas contra gentes, populóſque rebelles

Vidiſti

Vidiſti toties ad curui flumina Bætis:
Germaníque ſimul referentem in regna Philippi
Victrices aquilas, & cæſis hoſtibus arma:
Atque ipſum hanc etiam voluiſti ducere claſſem:
Atque illi ſummam voluiſti credere rerum:
Effice, vt ipſe etiam faſces in regna reducat
Aeneadum amiſſos olim: lauróque reuincta
Roma comas, Macedũ populis, Bactríſq. ſubactis,
Quíq. colunt Libyam, & Nilũ: det iura: iugúmq.
Excutere impoſitum poßit, violéntaque fræna.
Huic etiam pater omnipotens da: maior vt ipſo
Sit patre: bellando quamuis tot vicerit vrbes:
Viderit & captos reges, fuſáſque phalanges:
Et regno ſumptis in regna reduxerit armis
Expulſum regem, qua Bagrada currit in æquor.
Hæc tibi Alexander cecini, dum tu colis oras
Vmbroſis gelidus quas Farfarus irrigat vndis,
Commißiſque tibi populis ciuilia reddis
Iura tuis, ritúſque ſacros, & templa reuiſis,
Crimináque & vitas diſcis: Tu perlege quæ iam
Iam toties votis optaſti, & gaudia mecum
Tu cape, & ante oras, pronus, ſuppléxq. age grates
Immenſas patri æterno, qui merſit in vndis
Ionijs Turcarum acies inimicáque vela,

Atque alias ſummo grates perſolue parenti:
Qui cupidum belli in patriam, ſedéſque reduxit
Farneſium iuuenem qui nomine te quoque reddit:
Duxerat ad bellũ quem clarus auunculus armis,
Illius virtutem animi, robúrque iuuentæ
Admirans, puer aduerſos dum tendit in hoſtes.

FINIS.

IN REGEM TVRCARVM POST AMISSAM CLASSEM.

QVID verſas ô Turca animo, poſtquam æquore claſſem
Ionio amiſſam nuper, ſtragémq. tuorum
Audiſti? qua confiſus te poſſe putabas
Non ſolùm Adriacos fluctus, Tyrrhenáque ponti
Cærula, et Heſperij maris æquora, ſed quoq. vaſtos
Cannibalum penetrare ſinus, victórque referre
In patriam prædam ingentem: regéſque, ducéſque
Ante tuos currus captiuos ducere: & vrbem
Per mediam, rapida quã Boſphorus alluit vnda,
Ire inuectus equis, auro, gemmíſque ſuperbus:
Poſcere & æthereos patris omnipotentis honores.
Namque mare vndabat bello, atq. iniecerat atrũ
Tunc hominũ terrorẽ animis tua barbara claſsis:
Sed nunc, en quantum tua te ſpes vana fefellit,
Atque incerta, vides: quoniam ſic euenit illi,
Qui numerum ob bellantum audax ſpem collocat omnem
In regnis, opibúſque ſuis: nec cogitat iram,
Quam Deus omnipotens in ſontes vertit iniquos.

Et nunc à Venetis Epiri in littoris ora
Audiſti euerſas arces, fuſáſque phalanges.
Nec dubita, ipſa manus Domini fortíſque, poténſq́,
Quæ gentẽ, claſſémq. tuam; mox te quoq. victũ
In noſtras eadẽ ipſa manus, Turca impie, tradet.
Atque manus geminas vinctus pedes ibis ad alta,
Permixtus ſeruis, Capitolia, non ſine dura
Compede. & inſignes iuuenis aget ille triumphos
De te ſublimis curru: qui nuper in vndis
Ionijs (ducente Deo) claßémque, tuóſque
Ductores pugna nauali vicit. & ira
Tum magna pater accenſus noménque, genúſque
Delebit Selime tuum: veluti per aperta
Plana lutũ, valido aut puluis diſiectus ab Euro.
Inq́; tot ærumnas commiſſa ob noſtra tyranne
Crudelis nos incidimus: quarum haud tua claßis
Cauſa fuit, non turmæ equitũ, peditúmq. cateruæ:
Sed Deus ipſe tuas, nobis iratus, in iras
Nos miſeros toties conceßit, & oppida, & vrbes.
Et nunc, quum ſit nos cælo miſeratus ab alto,
Et precibus noſtris non obſtruat (vt prius) aures:
Iras in te acuet; quas olim exercuit in nos.
Atq. etiam tantis vrbs quondam aſſueta triũphis,
Noſtrorum & ſpolijs diues, quam nunc ferus ille
Incolit,

Incolit, atque tui contemptor numinis ô rex
Omnipotens cæli, & terræ: tu turturis inſtar,
Quæ nuper thalami conſortem amiſit, & implet
Flebilibus nemoris nigrantem queſtubus vmbrã;
Mortua nauali pugna, diſiectáque ponto,
Et monſtris laniata auidis tua corpora defle:
Et proſepoſita palla te veſtibus atris
Indue, & obſcuris lacrymans te conde tenebris,
Tantæ inſperatæ cladis teſtata dolorem
Inſolitum: dehinc lætitiam, ludóſque repende
Exactos gemitu mæſto, caſúque recenti.
Tu verò Deus, è celſa qui ſede tua nos
Proſpectas; dum thura tuas adolemus ad aras;
Et canimus te præſidium, præſénſque fuiſſe
Robur: in Ionio dum ponto fregimus hoſtem
Threïcium, lætíque domum ſpolia ampla, ducéſque
Rettulimus: da quod populus tuus inſuper orat,
Supplicibúſque petit precibus: ne iactet amarus
Seſe hoſtis terra pugnans viciſſe, maríque:
Dicat & inſultans: Deus illos liquit: & vltrà
Illius non dextra tegit: nec pugnat, vt olim.
Iſmariam ſed tu primo in certamine claſſem,

Armáque, pugnantéſq. viros vaſto obrue ponto.
Inſtructaq́; iuuent illum non mille triremes,
Bellantum non mille acies: ſed victus in armis
Occumbat, tingátque ſuo freta ſalſa cruore.

FINIS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
Digitized by Go